

# POSITIONES,

QUAS,

JUBENTIBUS LEGIBUS ACADEMICIS

ET

ANNUENTE AMPLISS. FACULTATE PHILOSOPHICA,

*STIPENDIARIIS*

AD ACADEMIAM IMPERIAL. ABOËNSEM

examinandas offert

MAG. FREDR. WILH. PIPPING,

HIST. LITTER. PROF. PUBL. ORD. ET BIBLIOTH. ACAD. PRÆFECTUS,

IMP. ORD. DE S. WLADIMIRO IN IV:A CLASSE EQUES,

*Respondente;*

JOHANN E LAMPÉN,

STIPENDIARIO PUBLICO, TAVASTENSI;

in Audit. Philos. d. XIII Junii a. MDCCCXXVII,

*h. a. m. s.*

---

ABOË, *Ex Officina* J. C. FRENCKELL.



## I.

**O**rigines artis scribendi satis indagare quamvis nos vetet ipsa ejusdem vetustas, a memoria hominum historia luce collustratorum longe remota, canæ tamen antiquitatis vestigia secuti facile nobis persuadere possumus, a rudibus adeo initiis ad summam perfectionem sensim evectam fuisse eam, ut qui ejusdem primordia tantum noverit, quousque tandem præstantiæ inde aliquando procedendum esset, ne divinare quidem valeret. Omni enim caret dubio, ut usum divinæ hujus artis latissime patentem fugisse eos, quorum opera nata est, ita plenam atque certam animo comprehensam ejusdem notionem eosdem non habuisse.

## II.

Horum itaque nemini cum in mentem venisse videatur, sensa atque cogitata quævis animi repræsentari posse oculis aliorum spectanda, haud secus ac auribus loquendo committuntur; nil mirum, quod de rerum vel factorum, sensibus externis obviorem, memoria conservanda maxime laborans scribendi ars recens nata, in imaginibus rerum ita delineandis versata sit, ut picturam potius referret, quam scripturam nostram. Neque tamen est ut eodem ex fonte derivata negemus cætera scripturæ genera, sive *Ideographica*, sive *Phonetica*, quorum indoles, quo magis a captu rudiorum hominum aliena, eo minus quidem obversata fuit animis eorum, qui primi scripserunt, sed artis usu exercitiores diu latere non potuit, experientia et postulante quotidie et docente scribendi rationem pluribus numeris absolutam, qua, quemadmodum præsentibus per aurem immissæ voces quotquot finxerit lingua, ita absentium oculis signa earundem nec non notionum quarumvis, animis nostris informatarum, delineata præberentur.

### III.

Ad similitudinem rerum, quarum notiones scribendo repræsentarentur, proxime cum accederet forma signorum, quibus utebatur scriptura *Symbolica*, neminem facile in dubium vocaturum existimamus, quin ex mere *Figurativa* illa originem habuerit ductam: duplici autem consilio cum ad eandem adhibendam itum fuerit, scilicet quo et compendio scribendi et simul necessitati prospiceretur, jubenti ut neque perceptionum, quarum nullum est sensibus externis dimetiendum objectum, deessent signa visibilia; quæri quidem potest, qua via inventa hæc sint. Diu tamen non ambigant, speramus, quotquot et symbolicae repræsentationis cujusque naturam, a præsentibus ad cognitionem quadam cum his juncta absentia, vel a primis apprehensis ad secundaria et accessoria, judicio et ratiocinatione inducta, videntium animos vocantis, et scripturæ quæ restant *Symbolicæ* monumenta, imagines rerum morumque, iis locis atque temporibus priorum, quibus maxime in usu fuit, plurimum referentia, satis explorata habeant.

### IV.

*Characteristica* autem scriptura quo magis arbitrio scribentis cujusque et inprimis inventoris debere videatur, qualis nostra ætate obtinet, plurimo per sæcula usu adeo variata, ut vix ac ne vix quidem appareant primi quibus distincta olim fuerit ductus, eo minus dubitamus esse, qui primordia ejusdem in adumbratione quadam corporum quærenda negent. Cum autem fortunæ plus tribuere his in rebus non possimus, quam rationi, antecedentibus consequentia nec tenti partisque ad nova comparanda utenti, et multa cum impediunt, quominus *characteristica*, quæ priscorum populorum haud paucorum fuerunt, suntque adhuc Sinensium, scribendi signa, conventionem quadam rata remotissimis jam temporibus illis essent, quibus rariora exercuerunt gentes commercia quævis, neque firmus admodum singulos homines junctos tenuit nexus; nobis quidem in confesso est communis cum cæteris scribendi rationibus *Ideographicis* origo scripturæ *Characteristicæ Arbitrarie*.

### V.

Quæ licet vocum etiam signa, non rerum tantum imagines adumbratas offerens, *Symbolicæ* illi plurimum copia præstet, *Ideographicæ* nihilominus cum sit indolis, per se quidem commune nihil habet cum *Phoneticæ* scriptura, cujus, in ipsis sonis, quorum in

loquendo est usus, significandis positæ, mirifica vi præstabilius esse nihil potest; sed exemplo tamen Sinensium, notas suas *Arbitrarias* cum *Phoneticis* signis subinde consociantium, aliquid conferre potest ad origines horum illustrandas. Quod de *Hieroglyphica* etiam Ægyptiorum scriptura cum valeat, *Phoneticis* quamplurimis referta characteribus, haud scio an ex *Ideographica* rectius censeatur orta omnis *Phonetica* scribendi ratio, quam vel casui vel ingenio nova omnino fingentis inventoris accepta referatur.

## VI.

Quomodo autem ea via nata sit hæc si quærat, observandum primo est discrimen, quod utramque *Phonetica* scripturæ speciem, *Syllabicam* scilicet et *Alphabeticam*, intercedit, quarum illa voces, linguæ legibus convenienter jam formatas, in minutiores eas partes solvens, quæ loquendo etiam discernuntur, singulis suam concedit scribendi notam, hæc e contrario, artificium ipsum formationis vocum per loquelam, vimque hujus omnem, natura admodum variam, respiciens, elementa sonorum alia aliis distinguit notis. Quo rite perpenso discrimine album non possumus non adicere calculum ratiociniis eorum, qui monosyllabicæ et penuria vocum laborantis linguæ cujusdam natura maxime compellente factum esse statuunt, ut imagine rei unius ejusdemque in scribendo omnibus aliis impertita, quarum nomina sono, vocis tantum variatione distinguendo, convenirent, nexus figuræ cum repræsentata re sensim solveretur et signa *Figurativa* vel *Symbolica*, mere *Arbitrariarum* notarum instar, cuique deinde syllabarum compositioni, nova tamen scripturæ *Syllabicæ* lege, inservirent. Nec minus ad veritatem accedere videtur sententia, quæ nuper invaluit, litteras, sive *Alphabeticas* scribendi notas, figuras rerum vel veras vel symbolicas principio referentes, *Phonetica* sensim induisse naturam, cum a rerum istarum nominibus ad exprimendas quasvis translatae essent voces, quarum elementa primis eorundem nominum sonis, nova qualicunque societate junctis, concinerent.

